

& imperium factione Plotinæ processit. Qui Consules igitur fuerunt ordinarii, Trajano cedente Selinunte die x. Augusti (fuerunt autem Niger, & Apronianus, ut universa monumenta comprobant, & historici cum Dione) eisdem incidisse fatendum est in exordium Xysti. Uterque autem catalogus pariat initium Xysti cum iisdem cons. Nigro, & Aproniano. Decimo autem ab illis loco subsequuntur infastis Verus, & Ambulubus: quos pariter æquata ratio annorum undecim Xysto assignatorum ostendit respondere. Consensus itaque summæ annorum tam in imperio Principum, quam in Episcopatu Pontificum Romanorum, respondens laterculis Consulium utrobique positis, tam in Catalogis memoratis, quam in Eusebii Chronico, & historia, eodem sæculo scripta quo prior catalogus edebatur, demonstrat, illa ætate superfluisse indiculos, & documenta Notariorum Ecclesiæ Romanæ, unde Scriptores catalogi non minùs certam quam Eusebius Chronologiam, & seriem Pontificum concinnarent.

19. Verùm quis dubitet, ætate Eusebii, & prioris catalogi ad Liberium pertinentis, in Ecclesiæ Romana extitisse indiculos annorum, & Consulatum, unicuique Pontifici assignatorum? cùm Acta Martyrum, qui Romæ præsertim patiebantur ætate ab Apostolis proxima, sæpe expriment nomina Consulium aut Præfectorum Urbi, aut imperii Principum, & diem passionis. In actis S. Ignatii n. ii. & n. viii. editionis Ruinartii legitur quoque annum Imperii cum Consulibus pariatum: *Facta autem sunt hæc die ante xiii. Kal. Januariæ præsentibus apud Romanos Syria, & cum Senecio secundo* ( Ita habent num. viii. numero autem ii. scribitur post annum (1) quartum Trajani, ejusque victorias de Scythis ac Tbracibus intellige Dacis) reportatas ea contigisse. C. Sotius Senecio III. & L. Licinius Sura II. cons. anno Trajani quarto processerunt; & interposito quinquennio eum nonus annus ejusdem Imperii laboretur, iidem Consules Senecio IV. & Sura III. factos aperuerunt. Victoria verò Trajani Dacica contigit, anno sexto Imperii Trajani, ejusque Tribunicæ potestatis habente, ut ex numismatibus luculenter probavit Eminentissimus Norisius Epistolæ consularis pag. 66. Quare monebat rectè Ruinartius post annum iv. Trajani mendum esse amanuensis vertentis in iv. numerum ix. cui optimè convenit Epoca Dacicæ victoriæ ante triennium relatæ, & expeditio suscepta in Parthos, & in Armeniam, quæ in ejusdem Actis pariter memoratur. Et revera contextus verborum ita videtur requirere; cum Senecio, & Sura secundo præsentibus hoc est iterum collegæ in Consulatu (negligenter expresso per voces Syria, & Senecio secundo) recurrant anno Trajani nono. In sepulchralibus etiam titulis depositio martyrum signata non rarò legitur nominibus Consulium: ut passim ostendere possumus in fragmentis lapidum, quæ è sacris cæmeteriis quotidie extrahuntur. In Actis martyrum in Urbe passorum nomen Præfecti Urbis quandoque exprimitur: qui magistratus licet non esset annuus, relatus tamen ad alias notiones expeditionum, victoriarum, mortis Principum, aut simile quidpiam, incidens in eætempora, & in actis martyrii expressum, redditur character satis idoneus ad pa-

A riandum cum Consulatu. In actis Justini martyris Rusticus Præfectus Urbi eodem ac socios interrogat, & capite plectit. Publicus Præfectus Urbi legitur in actis S. Felicitatis sub Antonino. Si hodie haberemus integram seriem Præfectorum Urbi per duo priora sæcula Æræ Christianæ, quemadmodum integra series legitur successorum in eo Magistratu ex anno Christi 254. ad 354. in opusculo quarti sæculi edito per Bucherium ex iisdem membranæ, in quibus reperit primum catalogum; ex indicio Præfectorum perinde ac ex notione Consulium Epochas martyrum (adeoque & Pontificum) colligi posse compertum foret. Quarto autem sæculo Christi dum catalogus prior conscribatur, seriem Præfectorum fuisse perfectam arguit fragmentum illud præservans per solidos annos centum singulos successores. Hanc verò consuetudinem, sive etiam necessitatem historicam eisdem Magistratus commemorandi in gestis Ecclesiæ viguisse dixi ætate ab Apostolis proxima. Neque id moris justo maturius à me inchoari quippiam reputet; cùm Evangelicis oraculis doceamur, à Divino spiritu dictatam regulam ita definiendi Epochas illustrium gestorum Christi, ejusque Discipulorum. Natalis Domini consignatus à S. Matthæo (2) per annos postremos regni Herodis magni, à S. Luca (3) indicatur per descriptionem primam, ex edicto Augusti factam Præside Syriæ Cyrino. Eiusdem Baptismus ac prædicatio Joannis refertur ad annum quintumdecimum Imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, (4) Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis regionis, & Lyfania Abilinae Tetrarcha, sub principibus Sacerdotum Anna, & Caipha: cujus etiam postremi annuo pontificatu designatur à Matthæo, Marco, & Joanne (5) annus Dominicæ passionis. Apostolorum verò gesta per S. Lucam Romæ conscripta tot abundant indicibus Chronologiæ per successiones Præfidum Syriæ, & Magistratus, tum in Provinciis tum Romæ agente Paulo ibidem recentitos; ut S. Hieronymus (6) colligat, historiam pertingere ad biennium Romæ commorantis Pauli, id est usque ad quartum Neronis annum. His igitur exemplis eruditi Scriptores Ecclesiasticæ historiæ, præsertim Romæ agentes, & cum Apostolis versati, aut cum viris Apostolicis, quemadmodum versatus est Hegesippus, inter cætera veritatis criteria, quibus opera sua confirmarunt, non omiserunt gestorum tempora ad notas Epochas revocare. Hegesippi locum produxit Eusebius de martyrio Jacobi fratris Domini. Epocham illius martyrii significavit proximam obsidioni Hierosolymitanæ paulo post subsequente. *Nec multo post, inquit, obsidio Vespasiani, & Judæorum captivitas subsequuta est. Hæc Hegesippus, cum Clemente consentiens.* Sunt verba Eusebii: (7) qui cùm adducat eodem loco testimonium Josephi, referentis eadem Jacobi Justii ad intervallum trium mensium, numeratum ex morte Festi ad Abinum Procuratorem à Nerone subrogatum, quo trimestri spatio Ananus junior gessit Pontificatum, confirmat morem gentis atque ætatis suæ, & Romæ scribentium historicorum, ut Epochas non omittebant identidem memorare gestorum quæ describebant: & historiæ suæ hoc lumen non dene-

(1) Ruin. corrigit nonum.

(2) Matth. 1.

(3) Luca 2.

(4) Luca 3.

(5) Matth. 26. 3. & 37. Marci xiiii. 61. Jo. xi. 49. & xviii. 14.

(6) S. Hieronym. in lib. de Script. Eccl. in Luca.

(7) Euseb. bish. Eccl. lib. 2. cap. 23.